



21465
kat.komp.
III | Mag. St. Dr. P

tus Ustiensis

Biezanowski Stanislaw fons signatus in altissimo
Santissimae Trinitatis mysterio existens

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
N. 916

Biblioteka Jagiellońska



stdr0002763

FONS SIGNATVS,

In Altissimo Sacrosanctæ TRINITATIS mysterio existens,

A

Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D.M. ALBERTO PAPENKOWICZ VSTIENSE

Collegā Maiore, S. Theologiæ Sententiario, Ecclesiæ Col-
legiatæ S. FLORIANI Canonicō, Cancellario Siradiensi,
Contubernij STARINGIELIANI Prouisore, &c. &c.

D. V. M.

In primo suo ad S. Theologiæ Sententiariatum accessu, Librū primū Magistri
Sententiarum de Sanctissimâ TRINITATE inchoatūrus, arduam de Pro-
cessione diuinarū Personarū Quæstionem, in frequentissimâ Nobilissimorū
hospitū coronā, publicè in Archilyceo Theologico velitandam exponeret,

RESERATVS,

ET

A. M. STANISLAO, IOSEPHO BIEZANOWSKI,
Leopol. Philosophia in Alma Vniuersitate Crac. DOCTORE,
honoris, & gratulationis ergo, officiosissimo plaudentis
cythara obsequio.



CELEBRAT VS.

Anno Domini MDCLVIII. Die 6. Mensis Iunij.

CRACOVIAE.

21.465
III


Apud Viduam Lucæ Kupisz, S. R. M. Typogr.

Clarissime, & Admodum Reuerende Domine,

Sacræ Theologiae Sententiarie.



Ltissimum Sacrosanctæ TRIADOS mysterium, ipsis etiam Seraphicis mentibus tremendum, & inscrutabile; nec tam hymno, quam profundi silentij veneratione decenter recolendum, dum ex Magistro Sententiarum in Archilyceo Theologico explanatur arduam de Processione diuinarii Personarum Quæstionem, iuxta laudabilem Sacræ Thologie Facultatis consuetudinem, publicæ velitatione exponit, non indecorum tantum; sed etiam reprehensioni obnoxium Musa mea censuit, tantis Nobilissima Professionis Tuae auspicijs solenni Vatum obsequio non applaudere. Nam cum inaudissem diuinissimum hoc, vnius in Trinitate D E I, & abstrusissimum secretum, lucem habitans inaccessibilem, in cuius circuitu nubes & caligo, excellenti ingenio, labori, & Tuo commissum; subiret in mentem, sacrum illud beatarum mentium Trisagion, & viginti quatuor seniorum cum cytharis, & demissi coronis profundissima adoratio; æquissimum profecto iudicauit, nos quoque infimos terræ vermiculos, nullam sanctissimi huius mysterij mentionem, sine deuotissimo mentis, oris & Applausu transmittere debere Fons hic signatus, nemini unquam, nisi cui ipsa Sanctissima TRINITAS voluerit, reseratus; nemini, nisi forte sponsæ, Osculetur me osculo oris sui, clamanti, in osculo amoru (teste D. Bernardo) reuelatus, iuxta veterem, omnium sæculorum fontes coronare præcipientium consuetudinem virentibus laudum corymbis debuit omnino coronari. At nec noua hac in Sacra Theologicâ facultate dignitatu Tuae accessio, locus tantus, quo nihil proprius ad summos in Republicâ literariâ honores esse potest, quidquam aliud sibi, quam festos Cytharae Applausus, exposcere videbatur. Tanta quippe sunt cum Tua, tum maiorum quoque Tuorum Clarissimorum, quos nobis Vtiense solum dedit, virorum, in Almam Matrem nostram promerita, ut ea, publici elogij testimonio non decorare, piaculo proximum sit. Viuit adiuc Magni Patrui Tui, Perillustris Olim Domini IACOBI VTIENSIS, S. Th. Doctoris, Praepositi S. FLORIANI, Viri de Republicâ literariâ optime meriti, recentissima in pectoribus Nostris memoria, quem ROMA quidem Fortissimum Causæ Academicæ Propugnatorem; Thorunum vero ob scholasticæ Theologie excellenti, Acerrimum Orthodoxæ fidei Defensorem; Academia denique nostra, primum Cursus Philosophici, Clarissimumq; Theologie iubar, Sceptrorumq; suorum decus eximium, non sine ingenti spe & auit solatio; cuius tu Sanctissimis vestigijs insistens, viuum nobis exhibes in Te Magni Patrui Tui exemplar; quando post tot in BIALENSIS primùm Collegij Academicici Directoratu, magnaq; Illustr. Ducum in ZBARAZ, & VISNIOWEC, Prosapiae generosissimæ propagine Orbi Sarmatico efformata, post tot in Philosophico, Theologicoq; studio exantatos labores; post tot, apud summos Regni Proceres, quibus Carissimus semper fuisti, pro bono communis suscepit, feliciterq; confecta negotia, virtuti, & eruditioni Tuae debitum, sublimiorem in Sacra Theologicâ facultate consendens gradum, nobilissimum die hodiernâ certaminis Theologici specimen exhibere voluisti, quod ut Tibi, ita & Alma Matri nostræ honorificum, Contubernio vero Nostro STARINGIELIANO non potest esse non gratissimum; quippe cuius Turudera, & lugubres Suecici furoris reliquias, curâ, & sollicitudine Paternâ Amantissimus ROXOLANZ Palladis Prouisor, restituisti; breui etiam, quod speramus, pastinum Florentissimi olim Contubernij statum, aureaq; musis STARINGIELIANIS jacula, redditurus. Et hæc quidem spes nostra in sinu Tuo deposita est; in Te autem Clarissime, & Admodum Reuerende Domine, ut ex Fonte signato cœlestis benedictionis, & continuæ felicitatis torrens perpetuus desluat, votum nostrum est; quod Tu, vna cum Officio cytharae plaudentis obsequio, ut ea, que inter mecum supplicat Hippocrene.



FONS SIGNATVS.

Nemo nouit Filium, nisi Pater, neq; Patrem quis nouit, nisi Filius,
aut cui Filius voluerit reuelare. Matth. 11.

Nec ipsi Angeli videre Te possum sicuti es: nulli deniq; alij tota, nisi Tibi
soli nota es, omnipotens Trinitas. D. Aug. in meditat. cap. 29.

Absiste Clio; Tunè rebellibus
Ad vsque Sacras cælitum domos
Volare pennis? insolenti
Tunè humilem meditaris ausu
Sublime vatem tollere in ætheris
Iugum micantis? Tunè Sacerrimam
Tentas abyssum claritatis,
Cæruleum per inane ductis.
Lustrare oeellis? cernis ut igneos
Vultus Seraphim grande nitentium
Velamen alarum recondat,
Luminis ad iubar increati?
Cernis trementum corda Quiritium,
Intaminatae militiae Duces,
Fusis adorantes coronis?
Icarij noua monstra casus
Periculosis mitte volatibus
Tentare; pennis ponè modum tuis.
Mortale curarum grauamen
Præcipites tibi frænet alas;
At æstuanti, ne cœtare Olympicæ
Ardore quæris fôrs sapientiæ,
Gustuque terrarum relicto
Sola tibi sapit æuinterni
Dulcedo fontis? fac age Craciæ
Delubra Stoæ, Theologos subi
Inter penates; veritatis
Grande bonum referes latentis.
Minore curâ, læta quid auream
Frontem serenas? iamque labelluis
Gustare signatos pudicis
De properas bona Cliò fontes?
O quam sapisti Musa! reconditum
Fontis relinquens nectar Olympici,
Fluenta PAPENKOVIANÆ
Quando Tibi placuere suadæ.

Viden?

Viden? profundum quām pelagus Sacrā
Sulcet carinā? & PNEVMATIS à PATRE,
NAT Oque procedentis, altum
Quām facili reseret secretum,
Ternumque summi funiculum D E I,
L O M B A R D I A N A Theologus Scholæ
Ritu docendi! differentūm
Oppositos prout arte nodos
Soluat Magistrā? nempe coloribus
Relucet in Te ducta recentibus
Imago IACOBE VSTIENSIS;
Vernat adhuc rediuius in Te
Summus vireti flos Theologicj;
In corde magni cor Patrui Tuo,
Sapientiæ, cœlestesque parudit
Eloquio grauiore sensus,
Q V S T I E N S I S dulce decus soli!
Diuinioris gloria paginæ,
Sacrae P A P E N K O V V I Cathedræ
Fax rutilans, Aquinique splendor!
Te Liliatis viderat altius
BIALENSIS olim Musa coloniæ
Vectum quadrigis; Te coruscis
Cynthia ZBARAZIANA flammis
Ambire visa est; Stoa Tibi suum
VLADSLAVIANI curriculum dedit
Illustrē cursūs, inq[ue] Sacrum
Currere Te voluit cacumen,
Hoc calle, magnus quem Patruus Tibi
Calcauit ante, & passibus inclytis
Præiuit, hic ergo Cathedram
Quando gradus super altiorem
Te poset olim, propitijs eum
Nunc scande votis, fonteque mystico
Arcana pande T R I N I T A T I S,
Deque Tuo pretiosus ore
Sententiarum per Cathedras C R A C I
Decurrat imber, qui sipientium,
Restinguat ardorem, Sacrisque
Dogmatibus pia corda potet.
Pro fonte, quo T u torrida mentium
Rigabis, itgens Te Empyrea manet
Fons claritatis, & coruscum
Theologo super axe nomen.

SOLI DEO HONOR. ET GLORIA.



7.XII.24.

